



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Stellarum magnitudo, celeritas, & laudes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Recedente Spiritu S. à tabernaculo mentis, evacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nullusque locus est ei in cœlo, quia

alienum se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum, & habitatio immundorum spirituum. S. Martialis ep. ad Burdegalenses c. 7.

TITULUS XXXVII. STELLÆ.

§. I.

Vocantur militia, castra &c.

Militia cœli. Deut. 17. 2.
Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriose. Eccl. 43. 9. Stellæ sunt, quasi vasa, id est, arma bellica Dei. Non deficient in vigiliis suis, v. 11. quia, quasi milites, & Vigiles Dei, perpetuo excubant, intenti ad omnem ejus nutum. Cornelius in Gen. 1. 16.

Qui educit in numero militiam eorum. II. 46. 26. Militiam vocat stellas, & alia. 70. vertant: ornatum eorum. Cornelius hic.

§. II.

Stellarum magnitudo, celeritas, &c. laudes.

Stella quælibet in firmamento longè major est totâ terrâ. Distinguunt Astrologi stellas in sextâ magnitudinis differentias; traduntque, illas, quæ primæ, & summæ, magnitudinis sunt, continere magnitudinem terræ centies, & septies. Quæ secundæ magnitudinis, nonagies: quæ tertiæ, septuagesies bis: quæ quartæ, quinquagesies quater: quæ quintæ, triginta novies: quæ sextæ, & infimæ, decies octies. Cornelius in Eccl. 4. 3.

Docent Astronomi, quamvis stellam, in æquinoctiali positam, singulis horis conficere quadraginta duos miliones milliariarum; & insuper tertiam partem millionis; hoc est, tantum, quantum eques, quadraginta milliaria quotidie conficiens, posset 2904. annis conficere. Docent insuper, nullam stellam esse in firmamento, quæ non decies octies major sit totò globò terræ. Cornelius in Gen. 1. 16.

Deus stellas tot astris distinctas, tantâ varietate motuum, tantò sonorum concentu, insignes, educit, & movet; ut nulla creatura admirari satis possit. S. August. ep. 28. ad S. Hieron.

Suum jam ex se cultum terra acceperat, propriis convestita germinibus: acceperat, propriis convestita germinibus: acceperat & cœlum; nempe siderum flores roseos. S. Basiliius hom. 3. in hexam.

Per lunæ, stellarumque, fulgorem cœlum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micat; ut paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum vivis monilibus renitere. S. Ambros. l. 4. hexam. c. 2.

Quartò autem die, cœlum picturis exornavit. Philo Jud. de Mundi opificio.

§. III.

De Stella trium Regum.

Stella illis, tanquam lingua cœlorum. S. August. S. 2. in festo Epiph.

Quid erat illa stella, quæ nec unquam antea inter sidera apparuit, nec postea demonstranda permanit? nisi magnifica lingua cœli, quæ narraret gloriam Dei. Id. ib. c. 3.

Quando audis stellam; nè talem putes illam, quales videmus; sed divinam virtutem, & angelicam, in figura sideris apparentem. Theophylactus in Matth. 2.

Descendit stella à summitate, & terræ propior facta, ostendit eis locum: nam si ex summitate apparuisset, quomodo certiores fieri potuissent de loco, in quo esset Christus? Id. ib.

Apposita stella duxit Reges ad Christum Regem regum: quia stella habet speciem coronæ regiæ. Cornelius in Matth. 2.

Magi cognoverunt Christum natum ex stellâ indicio. Primò quia id prophætabat Balaam. Num. 24. 17.

Magi autem fuere posterii, vel successores, Balaam. Secundò ex instinctu, & revelatione Divina. Tropologicè: Stella hominis Fidelis est fides, prudentia, præcepta, consilia Evangelica, ac præsertim obedientia, ductusque Superioris; item sanctæ Dei inspirationes. Id. ib.

Quæ in orientali regione promicando apprens, ostendit; quòd ille, qui natus est, *Oriens* est nomen ejus: & ad Occidentem vadens; quòd omnia mala occisurus erat occisus. Et contra Occidentem, culpam, sive maculam occidentam, & occidentales tenebras depellendas illuxerat; per amplius illustraturâ humanæ mentis meridiem; & calefactura Septentrionem. Sim. Cass. l. 1. c. 11.

Fortè nec digni erant videre novam stellam homines perducentes ad verbum carnem factum; quod non credentes patibulo affixerunt; pro quo sol antiquus obscuratus est. Id. ib. c. 12.

Miscellanea.

Fatum ponentes nolunt advertere, quòd; electò ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, & exorta segete simul herbescunt: & tamen inde spicas cæteris cœvas, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo, istis alias constellationes fuisse, dicturi sunt; quos tam diversos exitus habere conspiciunt? S. August. de Civ. l. 5. c. 7.